



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvartum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput III. Cælestinus Papa (a) Florentinæ Ecclesiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74533)

occulto, quæ palam. Et ideo rectè in l. ult. C. de accus. jubetur, ut accusatores ipsi in iudicium veniant, ut per se accusent, non per tabellam: quare praxin Hispaniæ mittendi tabellam, seu chartam in cistam, quam huic rei paratam ecclesiastici habent, ut sumpto inde argumento homines vexentur, esse contra omne jus, divinum & humanum, asserit Cujac. in præsentī: sed certè praxis hæc Hispaniæ ab aliquibus iudicibus, præcipuè visitarioribus recepta, si tantum ad inquirendum & decucenda argumenta fiat, ut meliùs veritas assequi

possit, non est improbanda: si verò tantum ex chartis in cista collectis procedatur ad sententiam, vel aliam vexationem, procul dubio peccarent lethaliter. Nec obstat proximè traditis textus in c. 1. §. 2. ubi Calixtus vetat, accusatorem sine scripto recipi; quia hoc ita intelligendum est, dicta testium, vel accusatorum sine ipsorum præsentia, ac ipsorum præsentiam sine scripto non sufficere, ut docuerunt Cironius *hic*, Sotus *lib. 5. de just. q. 5. arr. 2.* Covarr. 2. p. *variar. c. 13. num. 6.* ubi exponit textum in l. *Theopompus, de dote preleg.*

C A P U T III.

Cælestinus Papa (a) *Florentina Ecclesia.*

(b) Videtur nobis, quod secunda, quam contra prohibitionem duxit Ecclesia, non sit uxor, et si primam non haberet desponsatam; nam quod contra (c) interdictum, & ordinem Ecclesiæ factum est, ratum non haberi, tanquam inordinatum, tam divinæ, quam humanæ (d) legis auctoritas proclamatur. Quia igitur ea, quam inordinatè superduxit, prohibitione renitente uxor non est, eam cogendus est recipere, quem juravit & desponsavit, atque ex ea prolem (e) genuit, ut juramenti religio non viiipendatur, & fides promissa ad invicem conservetur, & proles in cultu Dei nutriatur, & educetur, & alii exinde occasionem pejerandi, & alios decipiendi assumere non valeant. Quod autem parentes, fratres, & cognati utriusque sexus in testificatione filii, vel filia, ad matrimonium conjungendum, vel dirimendum (f) admittantur, tam antiquâ consuetudine, quam legibus approbatur, & tam divinis, quam humanis legibus similiter approbatur. In dirimendo enim matrimonio ideo maximè parentes recipiuntur, siue si defuerint parentes, proximiores admittuntur: quoniam unusquisque suam genealogiam, tum testibus & chartis, tum etiam exercitatione majorum scire laborat. Quia igitur aliis meliùs sciunt, ideo maximè admittuntur. Similiter recipiuntur in testificatione matrimonii gratiâ conjungendi: qui enim meliùs recipi debent, quam illi qui meliùs sciunt, & quorum est interesse; ita ut si non intersint, & consensus non adhibuerint, secundum leges nullum fiat matrimonium. Quod verò legitur, quod pater non recipiatur in causa filii, nec filius in causa patris, in criminalibus, & contractibus verum est; in matrimonio verò contrahendo, & disjungendo, ipsius conjugii prærogativâ, & quia favorabilis res est, congruè recipiuntur.

NOTÆ.

1. (a) *Florentin.* Ita etiam legitur in prima collectione, *sub tit. de matrimonio contracto, c. 1. & in c. videtur 1. 35. q. 6.* ubi legitur Cælestinus III. alibi *Clemens III.* sed legendum esse, Cælestinus II. jam notavit Ant. August. in *notis ad hunc textum*, cum nulla Cælestini, seu Clementis III. reperitur constitutio, tam in decreto Gratiani, quam in prima collectione. Cælestinus II. antea Guido de Castro, vel de Castello dictus, electus fuit in Pontificem anno 1143. ut ex Platina, Binio, & aliis refert Jacobus à Sancto Carolo in *Biblioth. Pontif. verbo Cælestinus II.*
2. (b) *Videtur nobis.* Deest integra consultatio, immò & ejus disceptatio; siquidem statim incipitur à decisione.

(c) *Interdictum.* Irritans videlicet, ut probavi juxta tradita in *cap. final. de matrimonio contracto.*

(d) *Humana legis.* De qua in l. *non dubium, C. de legib.* quam sæpe sæpius exposui in his commentariis.

(e) *Prolem genuit.* Unde licet tantum desponsata fuisset de futuro, juramento accedente, sponsalia per copulam subsequutam transferunt in matrimonium de præsentī, juxta tradita in *cap. is qui fidem, de spons.*

(f) *Admittantur.* Cap. 1. §. 2. 35. q. 6. l. 15. §. 17. tit. 9. part. 4. quia præsumitur eos rectè scire gradus ipsos consanguinitatis, l. *Oclavis ff. unde cognati, de tutela 7. C. de in integrum restit. l. quidam 15. cum seq. ff. de probat. l. filium 37. C. de liberal. causa, c. videtur 2. 35. q. 6. l. 15. tit. 9. p. 4. Cabedo dec. 173. n. 11. Perez de Lara de *capellan. lib. 2. cap. 4. n. 16.* Escobar de *puritate pa. q. 11. §. 2. n. 11.**

C A P U T IV.

(a) Cælestinus III.

Insuper adjecisti, quod aliquis contraxit cum quadam puella innubili, quæ tandem atatis metas attingens, & ab illo cognita pluries, post quatuor, aut quinque annos à

D. D. Gonzal. in *Decretal. Tom. IV.*

Y

præfata